
EX LIBRIS



FREDERICK SELCH

COMMENTATIO

De

MUSICALI INSTRVMENTO, REFORMATO

à

JOHANNE HEIDEN SENIORE, GERMANICÈ primùm conſcripta & recognita, Nunc vero à Philomuſo latinitate donata.

CIↃ IↃ CV.

IOHANNES CASUS IN SPHÆRA CIVITATIS

lib. 8. cap. 3.

Mihi credite, patres, ars nulla excellentior aut divinior eſt, quàm Muſica, qua liberi veſtri in teneris annis inſtructi ad DEUM & pietatem pertrahantur. Non intelligo mollem & effœminatam illam Symphoniam, qua vagabundi tibicines ad illecebras utũtur: ſed gravem & divinam eam, quæ cum anima humana proportionem habet, quæq; nos noſtróſque ſenſus & affectus à terra ad cœlum, à vanitate ad virtutem, ab inani ſtrepitu mortalium ad glorioſum chorum cœleſtium ſpirituũ, ab hoc indiviſibili puncto temporis ad infinitam circumferentiam numinis poſſit allicere, poſſit avocare. O ter beatam civitatem, in qua pueri & adoleſcentes ita diſcunt canere.

Auguſt: lib. 2. de doctrina Chriſt: cap. 16.

Muſicæ ignoratio ſcripturarum intellectum impedit.

GEORGIUS FABRICIUS.

M *Itigat humanas mentes & Numina flectit*
U *nica Pieridum* MUSICA *dulce decus.*
S *ollicito curas adimit, dat gaudia triſti:*
I *ngenuis non ars aptior ulla iocis*
C *arminibus duri minuuntur ſæpè labores.*
A *c ſine concinnis Vox quoque muta modis.*

EPIGRAMMA PHI-LOMUSI AD OPT. SENEM,

virtute & pietate vera præſtantem, DN. JOHANNEM HAIDENUM SEniorem, de ipſius Syngrammate Muſico, & Inſtrumento ad moderationem juſtam reformato.

MVSICA ut in terras cœlo data venit ab alto,
Sic hominum mentes rurſus ad aſtra vehit.
Hanc, HAIDENE, piâ dum tu excolis arte refor-
Vnâ operâ in cœlũ teq; aliosq; levas. (mans,
Sic verè humanos homines facis: imò etiam ipſis
Interes in terris cœtibus Aligerûm.
Contrà, ſi quis amuſus eam contempſerit, oris
Perſona humani brutum animum ille tegit.
Quin & deterior bruto eſt, nam beſtia nulla eſt,
Muſica quam non permulceat ac teneat.
Aſt mihi tu poſthac celebrabere Noricus Orpheus
Qui (ne homines dicã) & ſaxa ferasq; trahat.
Quòd ſi fortè parum tibi præſens grata erit ætas,
(Sæpè bonũ ut vile eſt, ante pedes quod adeſt,
Longinquisq; inhiant hominum faſtidia rebus:)
Iudicium at melius poſteritatis erit.

AVCTORIS PRÆFATIO AD LECTOREM.

SEQVENTEM hunc Tractatum, de Muſica & Inſtrumentis Muſicis, nō eo conſilio comportavi, quòd eum typis divulgare cogitarem, & ut aliquid antea ignotum docerem. Neque enim eam ſuſtineo perſonam, ut de hac vel aliis rebus commentari aut libros edere debeam. Sed nec otium mihi aut occaſio ſuppetit, hac de re meditandi, vel apud alios Autores latiùs inquirendi: Quin potius eruditis viris eas partes relinquo exſequendas. Sunt autem iſtæ meditationes meæ, quas in meum duntaxat uſum, meæque ut conſulerem memoriæ, collegi, jamque non alio fine, quàm ut cum bonis amicis communicare poſsim, prelo ſubjeci. Neq; enim mihi eſt animus, ſuper his cum quoquam contendere, aut ſerram (ut eſt in proverbio) reciprocare: ſed cuilibet judiciū ſuum de hac tota re liberum permitto. Quod autem ad deſcriptionem hîc propoſitā attinet Novi cujuſdam Iuſtrumenti Muſici, per me inventi & Norimbergæ confecti: res ipſa docebit & pro ſe loquetur, Nihil quod non ipſa veritas comprobatura ſit, hac relatione contineri.

DE

DE MVSICA ET INSTRUMENTI MUSICI REFORMATIONE.

MVSICA tam præſtans & eximium DEI munus eſt, hominum generi ab ipſo revelatum, ut poſt Theologiam ei meritò proximum locum laudemq́ tribuamus. Primùm enim, ex multorum præſtantium virorum ſententia, imago quædam & ſpecimen eſt, per quod DEUS quaſi per nebulam repræſentare & adumbrare nobis voluit cæleſtem lætitiam & Muſicam, qua ſancti angeli DEI, totúſque cæleſtis exercitus, in quadam dulciſſima & maximè concinna harmonia aſſiduè ſinéq; intermiſſione per omnia ſecula DEO creatori ſuo gloriam, laudem & honorem debitum tribuunt, hymnúmq; illum triſhagion, SANCTUS SANCTUS SANCTUS DOMINUS DEUS ZEBAOTH, decantant. Atque ut hujus mundi Dy-

naſtarum & Magnatum Legati, ad loca extera cum mandatis dimiſsi, ejuſmodi res ſecum afferre & oſtentare conſueverunt, quæ in ipſorum regione maximi fiunt habentúrque in pretio, ut per eas ſui domini potentiam & magnificentiam pro more regionis ſpectandam exhibeant: ita ſuaviſsima illa & pulcerrima Muſica ſanctorum Angelorum, qui Paſtoribus nativitatem CHRISTI DOMINI *noſtri annuntiarunt, nihil aliud fuiſſe videtur quàm Epiſtola ex earum genere quas Credentiæ ſeu fidei vocamus. Vnde agnoſcerent Paſtores, ipſos eſſe ſpiritus cæleſtes, & Legatos* DEI, *qui præter nuntium optatiſsimum & ſolatii pleniſsimum, quod afferebant, hominibus etiam gaudii cæleſtis aliquod ſpecimen exhiberent, oculis videlicet ſplendorem, & auribus acroama cæleſtis harmoniæ, ut tanto majori ardore ipſorum animos accenderent.*

Quódque in cœlo talis ſit harmonia, etiam ex natura ipſa depromptis argumẽtis ac geometricè ex dimenſione Sphæ-

ræ, in

*ræ, in motibus Planetarum probant Cicero, Plinius, Boëtius & alii auctores, quæ dimenſio cum partitione noſtri monochordi planè congruit: Vnde argumentando colligitur, motum illum in recta ad ſe invicem proportione & commenſuratione ſonum & harmoniam conſtituere. Quæ res minimè pro fortuitâ habenda, neque exiſtimandum eſt, Stellas idcircò tantum conditas eſſe, ut aſpiciantur, aut ſtatum & ordinatum curſum ſuum conficiant atq; abſolvant: ſed præter vim & efficaciam ſuam hanc quoque in ſe habent inſitam proprietatem ſeſe exhilarãdi, & creatorem ſuum celebrandi. Nam & D*EUS *ipſe hoc indicat apud Hiobum capite triceſimo octavo, ubi omnipotentiam ac magnificentiam ſuam in rebus creatis ipſi proponit, & inter cetera commemorat, Quo pacto tunc ſtellæ inter ſe gaudio tripudiarint, & omnes filii* D*EI *cecinerint cum triumpho ſeu jubilo. Qui locus non de allegorico aliquo gaudio cantúve intelligi debet; ſed quemadmodum* D*EUS *de naturali, & aſpectabili, quam-*

vis tactum effugiente ædificio loquitur, ubi res creatas videre, partim etiam manibus contrectare licet: ſic etiam gaudium illud ſtellarum, nec non cantum & jubilum filiorum Dei, *de naturali quadam, quamvis cœleſti, lætitia & harmonia, quâ Stellæ quidem inſtrumentalem; Angeli autem vocalem Muſicam celebrarunt, prout verba ipſa textus ſonant, accipere oportet. Nam ſicut ferè in omnibus animatis creaturis, ſeséque moventibus & viventibus rebus, vox eſt aptiſsimum naturale organon, quo lætitia vel triſtitia declarari poteſt: ita & hoc in loco, ubi nulli alii gaudio, jubilo aut triumpho, præterquam laudibus divinis locus eſt (ut aliquoties in Pſalmis repetitur) etiam Stellæ idem ſua voce id prodiderunt. Nec obſtat, ſi quis dicat, Stellas nullo ſenſu præditas eſſe, neque voce, neque lingua ulla: proindéque nec ſonum ullum edere poſſe. Nam & naturalibus cauſsis facilè hoc refelli poteſt. Verbi gratia, Fiſtula quoque in ſe ipſa nullam habet vitam, nec vocem,*

vocem, nec linguam, nec ſenſum aut motum ullum: Et tamen ſi aër ab inflatu accedat, à quo velut animetur, vivum quendam, ut ſic loquar, & articulatum ac intelligibilem ſonum edit. Quid, quòd etiam lignum aut ſagitta interius excavata, cum in aërem celeriter projicitur, clarum edit ſonum? Quid, quòd etiam globos ex majoribus bombardis ac tormentis exploſos audimus, quando cum impetu valido ac violento aërem ſecant, quaſi ſonorum quendam cantum excitare? Nec minus prætenuis ligni lamella filo alligata & aliquoties circumgyrata ſonorum murmur edit. Quantò igitur magis in Stellis idem fieri exiſtimandum eſt, quæ tormentorum ſeu bombardarum globos & magnitudine corporum & velocitate ac vehementia motus, immane quantum ſuperant? ut ita ſonus ille aſtrorum & angelorum concentus talem harmoniam effecerit, qualem DEUS *ad Hiobum prædicat. Atque hanc cæleſtem Muſicam, nos quoque in naturalibus & clarificatis corporibus*

noſtris

noſtris ſuo tempore, quando nimirum in altera vita verè vitali ad cohabitandum DEO *aſſumpti receptíque fuerimus, non ſolùm ipſi diſtinctè & intelligenter audiemus, ſed etiam cum* DEO *& omnibus exercitibus cæleſtium copiarum æterno perfruemur gaudio. Neque dubitandum eſt, quin & S. Paulus Apoſtolus idem intelligere voluerit, ubi commemorat, quo pacto in tertium cælum raptus ineffabile gaudium perceperit: quem ſonum ſive vocem fuiſſe oportet. Ignatius quoque ſanctus ille martyr, cui omnis ordo cæleſtis, ut Epiſtola ad Trallianos ſcribit, probè cognitus fuit, refert, ſibi per viſionem quandam apparuiſſe angelos* DEI, *qui partitis choris alternis ſacroſanctam Trinitatem hymnis ſuis celebrarint, cujusmodi quiddam ſcribitur etiam contigiſſe in mortis articulo regi Alphonſo, qui primus ob ſanctitatem religionis Catholicus appellari meruit. Cum enim hujus anima corporis vinculis jamjam ſoluta evolaret, ferunt Angelos ſupra lectulum,*

in

in quo jacebat, ſuaviſsimâ melodiâ decantaſſe hæc verba Jeſaiæ Prophetæ: Ecce quomodo juſtus perit, Et non eſt qui recogitet in corde ſuo: & viri miſericordiæ colliguntur, quia non eſt qui intelligat, à facie enim malitiæ collectus eſt juſtus &c.

Ex quibus omnibus evincitur, minimè de cœleſti hac Muſica dubitandum eſſe.

Secundo. *In Muſica ſingularis quædam vis ac poteſtas divina ineſſe animadvertitur: ut Prophetarum hiſtoriæ docent. Nam cum Micha Achabo, & Heliſæus Regibus Judæ & Samariæ vaticinari deberent, non prius exſequi ſuum munus potuerunt, quàm ſonum citharæ audiviſſent: quo percepto ſpiritus* DOMINI *in ipſos delatus eſt. Quod idem Sauli quoque evenit, quando Samuelis monitu Prophetas cum Citharis de monte deſcendentes audivit. Quemadmodum autem Spiritus* DEI *libenter adeſſe ſolet Muſicæ, ejúſque amans ac ſtudioſus eſt: ita eadem maximè exoſa eſt*

Satha-

Sathanæ, qui eſt capitalis hoſtis omnis concinnæ harmoniæ & benè convenientis concordiæ. Vnde etiam apud Saulem commorari non potuit, quàm primum is Davidicam benè ſonantem Citharam audiret. Nam quia ex cœlo præceps datus eſt, & cœleſti illa harmonia in æternum carere cogitur, non tantùm capitali & acerbiſſimo odio eam proſequitur, verumetiam hominibus ejus uſum fructúmque invidet: Proindéque ubivis locorum, quantum poteſt, omnia machinatur, ut eam in abuſum & conſequenter in contemptum atq; odium adducat.

Tertio. *Sicut Muſica, ut jam ſupra dictum, cœleſte donum deſuper hominibus datum eſt, ita etiam in hominibus piis excitat & gignit ſingularem quandam religionem, devotionémque & cupiditatem ſeſe viciſſim elevandi ſurſum ad cœleſtia, &* Deum *ardenti & fervido ſpiritu celebrandi, quoties elegans aliquis Textus ſacer appoſitâ accõmodatáque verborum ſenſui melodiâ decantatus auditur, &, ut dici ſolet, Textus per Notas*

Notas Muſicas velut animatur. Quæ cauſa quoq; fuit Davidi & Salomoni, cur in culto divino conſtituendo in Tabernaculo & Templo, cum eum quàm pulcherrimũ atq; auguſtiſſimum eſſe vellent, tantâ impensâ tantâque diligentiâ tot Muſicos & Cantores ad eam rem ordinarint: Nempe ut populum tantò attentiorem & ardentiorem in pietate ac devotione ſua redderent. Neque eam rem in contemtione, aut pro deliciis quibuſdam ac teretiſmatis habuerunt: ſed nec ipſum quidem puduit Davidem, cum citharâ ſua ſacris intereſſe, & cultum divinum ſuâ exornare præſentiâ. Quòd autem hac tempeſtate illi, qui ad Muſicam in ſacris conventibus exercendam conſtituti ſunt, adeò vilipenduntur, & quò facilius ac minore ſumptu alantur, eò adiguntur ſæpenumerò, ut mercedis gratia inſerviant ſuámque præſtent operam ejusmodi hominibus, qui, ſecundum Prophetæ Jeſaiæ querelam, conſurgunt manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuent:

æſtuent: quorum in conviviis ſunt Cithara & Lyra & tympanum & tibia & vinum: quiq; opus Domini non reſpiciunt, nec opera manuum ejus conſiderant: eſt hic ſanè magnus ac fœdus abuſus tàm præclari doni DEI, *quo fit, ut in contemptum adducatur, tandémque in quibusdam locis planè ex æde ſacra exterminetur ac relegetur: Verumtamen non propterea ipſa Muſica in crimen vocanda eſt, ſicut neque ullis aliis laudabilibus artibus earum abuſus imputari debet. Nónne ſanctiſ: Rex David, eúmque ſequutus ſapientiſſimus Rex Salomon, ut ex 2. cap. Eccleſiaſtæ ipſius videre licet, pro maxima & ſinceriſſima animi recreatione habuit, quòd cantores & cantrices, omniſque generis Inſtrumenta Muſica ſibi conſtituit? Quanto igitur magis exiſtimandum eſt, eos ſapientiam & vim ingenii omnem illuc convertiſſe, ut in ordinatione cultus divini etiam ars Muſica quàm pulcherrimè ſplendidiſſiméque conſtitueretur? Præſertim, cum illa priſca populi* DEI *religio & cere-*

moniæ

moniæ æquè (ne dicam magis) ac ipſum pretioſiſſimum ac magnificentiſſimum templum per totum orbem terrarum celebrari debuerint? Quod ſi quis etiam quinto cap. lib. 2. Paralipoménon legerit deſcriptionem chori Muſici, à Salomone in Dedicatione Templi conſtituti, non immeritò dixerit, vix quicquam huic ſimile aut ſecundum in toto orbe uſpiam hodiè reperiri.

Neque verò eſt, quod cum quibuſdam ſic putemus, illis temporibus rudem, ſimplicem ac incultam fuiſſe Muſicam, quòd nihil de ea literis mandatum exſtet: Quin ita potiùs ſtatuo, tunc temporis eam ferè ipſos ſequutos fuiſſe rationem Muſicæ, quæ etiam hodiè in Capellis (quas dicimus) uſurpatur, & contrapunctus appellatur: nempe ubi eſt una quædam principalis vox, ſive Choralis, ad quam reliqui, quotquot ſunt Muſici, pro ſe quisque vocem ad placitum, próque ſuo arbitrio, certis tamen regulis temperato, voces ſuas conformant & accommodant, ut juſtum & aptum reddant concentum:

Qui quidem, ſi ut oportet rectéque inſtituatur, grave quiddam atque heroicum ſonat. Poteſt quis etiam quodammodo concipere animo ſibíque imaginari, quàm res ſupra modum & terroris & conſolationis plena fuerit, cum in dedicatione Templi Salomonii pulcerrimum illum Pſalmum, cujus initium eſt, Confitemini, canere cœperunt, & centum viginti Cantores, vocales pariter & Inſtrumentales, variis Inſtrumentis Muſicis concentum ſuaviſſimum ediderunt, ſimúlque gloria DEI *& majeſtas inſtar caliginoſæ nebulæ Templum replevit.*

Quod autem nihil de veteri illa Muſica ſacra ſcriptum invenitur, id inde extitiſſe arbitror, Quia illa canendi ratio (ut & hodiè ferè comparatum eſt in noſtro illo, quem diximus, contrapuncto) tantum uſu addiſcenda; non autem Notis ac ſignis deſcripta fuit, ut hodie in omnibus ferè Cantionibus fieri ſolet, cùm non amplius tantum laboris & operæ huic ſtudio impenditur, ſed præſcriptione Notarum contenti ſumus.

Accedit

Accedit, Quòd, quemadmodum DEUS *Templum Judaicum ejúſque ſacrificia, cum omnibus ceremoniis planè deſtrui atque aboleri voluit, adeò, ut vix umbra aliqua eorum aut veſtigium reliquum ſit, ita etiam ejus gentis Muſica penitus tolli ac deleri debuerit, ut hodie inter Judæos in ipſorum Synagogis nihil niſi abſonum & horrendū quendam ululatum audire liceat. Et quid mirum, tantâ temporis longinquitate illam rem oblivioni traditam eſſe? An non enim Græci quoque in Cantu tàm Figurali quàm Chorali (ut hodie vulgò loquimur) perfectiſſimam habuerunt olim & exercuerunt Muſicam, tantúmque in ea ſtudii & operæ poſuerunt, ut fundamentaliter ipſam certis ac diſtinctis monochordis & tonis partiti ſint, quorum unicuique pro ſua proprietate ſuum peculiare nomen impoſuerunt? Qui etiam nunc hodie magna cum utilitate obſervantur, Sed jam, proh dolor, eò res redierunt in ipſorum terris, ut omnia illa ſint oblivione ſepulta atque eradicata, dum videlicet Turcæ, qui nunc*

ibi rerum potiuntur, Muſicam capitali odio proſequuntur atque averſantur. Ajunt enim, Muſicam valere ad minuendam in hominibus fortitudinem, & effœminandos animos. Ex quo factum eſt noſtrâ quoque memoriâ, ut, cum Franciſcus Rex Galliarum ex ſuo cœtu Muſico ſelectos aliquot ac præſtantes in arte Muſica tàm vocali quàm Inſtrumentali ad Imperatorem Turcicum Solimannum ea ſpe dono miſiſſet, fore, ut hoc munere magnam apud ipſum iniret gratiam, Turca ipſos Regi remiſerit, dicens, Iſtud genus hominum ſuæ genti & ditioni nulli uſui eſſe. Vnde & hodie Turcæ libentius Satyrica quadam & Barbarica Muſica, more ferorum & incultorum hominum utuntur, eáque magis quàm noſtra, quæ ad humanitatem facta excúltaque eſt, delectantur. Quæ res argumentum præbet, eam gentem à Deo *iſta arte indignam judicari. Et ſanè adhuc quidem* Deus *Muſicam ferè in Chriſtiano tantùm orbe conſervavit, eámque his poſtremis, & omni alioquin ærumnarum &*

miſe-

miſeriarum genere afflictiſsimis mundi temporibus, ad reficiendos erigendóſque conſolatione & oblectatione animos noſtros, tantò nobis copioſius & perfectius indulſit atq; conceßit. Quare nobis quoq; cavendum operaque danda est ſedulò, ne pulcherrimam artem contemptu atque abuſu ejus iterum amittamus.

Quartò *hinc quoque ſatis apparet. Amorem Muſicæ à* DEO *ipſo naturæ hominum in prima creatione ingeneratum atque inſitum eſſe, quòd tenellus infans, qui nondum novit quid ſit Muſica, cantu tranquillatur, & à ploratu abducitur, lallíque ſomniferi modis conſopitur. Deinde nullus est homo (niſi fortè ratione omni deſtitutus, & à malo genio obſeſſus & agitatus ſit) tanta præditus feritate atq; immanitate, quem non afficiat ac delectet bona & ſuavis harmonia. Equidem non nego, reperiri interdum, quibus Muſicæ aures ſuas dare tædioſum ac molestum, longéque gratior ſit auditu canum ululatus, quàm Muſicus concentus: ſed hos ego non puto pro perfe-*

ctis hominibus habendos eſſe. Nam & in beſtiis ratione carentibus plus intelligentiæ deprehendere & animadvertere licet.

Quid enim? an non & apium juventus fugiens crepitaculis æreis aut teſtarum ſonitu perterretur, totúmque examen, cum fugæ cauſa ſe proripiunt migraturæ in colonias, circumtinniendo ære ab apiariis quocunque voluerint perducitur? Tinnitus cie, *inquit Virgilius,*

> & matris quate Cymbala circum,
> Ipſæ conſident medicatis ſedibus: ipſæ
> Intima more ſuo ſeſe in cunabula condent.

Quid dicam de equis? an non in prælio, cum tubæ ſonum exaudiverint, ferocire incipiunt atque exultare? Quid equus arator? an non, cum aratrum poſt ſe trahit, tantò alacrius & perſeverantius incedit, quantò lætius carmen canentem ad ſtivam agricolam, aut acclamantem modos ſuos ruſticanos, Hoſcha Heya Ho / *audiverit? Quid oves? an non tunc in paſcuis ſuis multo majore cum voluptate gramina carpunt, & magis*

gis aluntur ac pingueſcunt, cum fiſtula opilionis acceſſerit? Ipſæ etiam in caveis ſuis incluſæ & captivæ aviculæ an non ſtatim attollunt vocem & cantillare ſuaviſsimè occipiunt, ſimul ac aliquid vel canorum vel ſtridulum vel ſonorum inaudierint? Unde iſta omnia, niſi ex naturali ad Muſicam inclinatione? Hinc Poëtæ ulterius quoq; proceſſerunt, & eam vim atque efficaciam Muſicæ attribuerunt, quæ etiam ad commovendas res anima, vita, ſenſu, motúque carentes pertineret. Nota ſunt hac de re figmenta eorum ſuaviſsima de Orpheo & Amphione ex Horatio & aliis auctoribus: quibus quid aliud eos indicare voluiſſe exiſtimabimus, quàm hoc ipſum: Muſicam, ſi in arboribus, truncis & ſaxis tantum valuit, multo majorem vim in hominibus ratione præditis obtinere.

Quintò. *Sicut homines ab initio conditi ſunt à* DEO *ad vitam inter ſe concorditer degendam: ita & Muſica nullam admittit in conſortium ſuum diſcordiam aut diſſonantiam: ſed eos, qui concentum*

aliquem Muſicum inſtituere & exercere volunt, omnes inter ſe concordes & conſonantes eſſe oportet. Etiamſi autem aliàs fortè inter aliquos ſint diſcordiæ, rixæ, inimicitiæ & ſimultates atque odia, tamen in illo actu alterum alteri ſe accommodare neceſſe eſt, ut unusquisque alterius voci ſuam vocem conformet, ſi modo concentum atque harmoniam effici volumus, in qua omnia inter ſe pulchrè conſentiant. Imò talis cœtus & congregatio inſtar unius corporis eſſe debet, in quo ſimul atq; unum aliquod membrum fortè titubaverit, impegerit, aut luxatum fuerit, totum illicò corpus deformari & moleſtia affici neceſſe eſt: cum in aliis ludorum generibus unicuique ſuum captare commodum & alteri ſe anteferre liceat, quaqua arte poßit.

Sextò. *Quemadmodum Muſica præ cæteris omnibus artibus liberalibus pulcherrimum & amabiliſſimum nomen ſortita eſt à Muſis: ita etiam præ reliquis hoc habet præcipuum, quòd ipſa, non aliter ac ſi vitam in ſe haberet & animam,*

mam, illis conſolationem vivam ſuggerit atque inſpirat, qui ejus ſonum audierint modò, etiamſi non intelligant ipſam artem, neque in ea quicquam ſtudii poſuerint. Quod ſecus habet in aliis liberalibus artibus. Nam qui ignorat, quid ſit Arithmetica, quid Grammatica, quid Geometria, & ſimiles artes ac diſciplinæ, neque illis operam dedit, is nullam ex earum auditione lectioneve ſentit voluptatem, ſed res quædam mortuæ ipſi ſunt omnia, quæcunque hîc audit aut videt. Muſica verò vim quandam efficacem in ſe complectitur, ad eos quoq; commovendos & commutandos, qui eam ignorant. Teſtatur hoc ipſum hiſtoria Alexandri Magni, quem, ut maximè alioquin animo præditus eſſet invicto, ſolo Citharæ ſono accommodato, quomodo & quoties libuit, ad arma capienda pariter ac deponenda, ipſius Cytharœdus impellere potuit.

Septimò, *conducit quoque Muſica, ſi Platoni credimus, ad rempublicam benè conſtituendam gubernandámque, ſi*

nimirum homines ab ineunte ætate ad illius ſtudium aſſueſiant, unde in ipſis ingenium mite ac benignum exiſtit: Cum è contrario, ubi illa contemnitur, eodem teſte, homines evadant craſſi, feri, immanes ac barbari. Ex quo concludit, in civitatibus præcipuè duabus artibus opus eſſe, Gymnaſtica videlicet & Muſica: quarum prior magnopere ad robur & fortitudinem corporis valet: alterâ animus & ingenium hominis exercetur. Noſtris quidem temporibus & pugilum palæſtræ & exercitia tam manubaliſtaria quàm Sclopetaria publicè habentur, tum prytanæa, thermopolia & tabernæ cupedinariæ, ubi potationibus, ganeatis ciborum deliciis & ludis aſſueſcit juventus, in civitatibus eſſe permittuntur, ſed ſcholæ Muſicæ non facilè reperiuntur publicæ: privatim tantum nonnunquam ab aliquibus Muſicæ amatoribus inter ipſos delectationis cauſſa conventus & converſationes inſtituuntur. Græci ſanè homines ἀμέσους, hoc eſt, Muſicæ imperitos nullo in pretio habuerunt, nec facilè

ad

ad primaria officia pervenire paſſi ſunt. Apud Romanos autem Cenſoribus, qui erant quaſi publici quidam magiſtri morum civilium, inter cætera hæc quoque cura incumbebat, ut diligenter obſervarent Tonos, quorum uſus eſſet vel utilis vel pernicioſus: Quorum alios, qui gravitatem quandam ſaperent, verbi gratia Primum & Tertium permiſerunt, alios autem, ut Quintum & Septimum, quos levitatis notabant, prohibuerunt, maximè ne à juventute uſurparentur. Hac enim ratione id ſe aſſequi poſſe exiſtimabant, ut ingenia hominum ſecundum proprietatem tonorum & modorum Muſicorum velut ad legis cujuſdam præſcriptum aſſuefacerent. Huc pertinet quod non ſolum Pythagoræi, ut ſcribunt, Strabo [lib. 10. Geograph.] *Jamblichus & alii, Muſicis modis utebantur ad animorum moderationem & conformationem purgationémque à vicioſis affectibus, ſed etiam Ariſtot.* [lib. 8. Polit.] *Muſicæ duplicem adſcribit uſum, nempe inſtitutionem & purgationem animorum. Mens enim ſine*

tran-

tranquillitate, quam beneficio Muſicæ aſſequitur, non poteſt officio ſuo aptè fungi, & ſapientiæ ſtudiis vacare. Quod latius explicandum aliis relinquo.

Octavo. *Muſica, Plutarcho auctore, etiam eſt medicina quædam ad morbos corporis ſanandos. Neque enim dubium eſt, quin multi graves morbi inde exiſtant, ſi animus nimio terrore perculſus, aut mœrore affectus, aut metu & formidine perplexus, velut extra ſuam ſtationem migrare compellatur, & de gradu deturbetur: Cum ex adverſo idem animus humanus ſuavi aliquo concentu ita permulceatur, ut ſeſe recolligat & ad ſe redeat. Nihil enim eſt, quod mollius in animum hominis influat, magíſq; eum penetret, quàm benè concordantium vocum ac ſonorum harmonia. Teſtatur hoc experientia in Melancholicis atráque bile percitis, quorum abſurdæ imaginationes, ex quibus nonnulli etiam ad furorem rediguntur, (ut videre eſt in illis, qui choreâ Viti, ut dicitur, correpti ſunt tanquam corybantes quidam) nullis alloquiis depelli*

depelli curaríve poſſunt: Muſicæ autem beneficio, quæ primùm ad ipſorum arbitrium & placitum inſtituitur, deinde paulatim ad lenitatem ac moderationem flectitur & tranſmutatur, ex aberratione quaſi in viam ad humanitatem, comitatem ac manſuetudinem revocantur ac reducuntur.

Atque hæc quidem hactenus in genere de Muſica dixiſſe ſufficiat. Deinceps, ut ad id, quod nobis propoſuimus, deſcendamus, etiam in ſpecie oportet indicemus, quot modis hodie illa in uſu habeatur. Et quoniam omnium ſupradictorum hic fuit ſcopus, eóque omnia diximus, ut primùm religio ac devotio in animo erga DEUM *excitetur, deinde quo pacto animus hominis ad manſuetudinem cultúmque humanitatis traduci, & conſolationibus etiam refici poßit: hujus ſcopi conſideratione varia genera ac multiplices modos, quibus Muſica exercetur, nobis proponemus ad examinandum, quǽque eò pertinent & conducunt; non dißimulantes etiam quid*

in

in ſingulis modis vel decori vel vitii inſit. Poſtremò etiam indicabimus, quomodo res tota ab omni vitio ac defectu repurgari & integritati ſuæ reſtitui poſſe videatur. Exordiemur autem à voce humana, quæ in hoc genere prima atq; antiquiſsima eſt, proindéque omnibus aliis ſonis ac vocibus palmam laudis præripit, non ſolum enim textum ſimpliciter cum cantu effert, verumetiam ita affectuosè inſuper vocem moderatur ac format, ut quodammodo ſermonem quendam ſuaviſsimum repræſentare videatur, non aliter quàm ſi quatuor, quinq; aut plures in convivio benè concordans & amicum inter ſe colloquium haberent: cum videlicet non tàm canitur, quàm velut ſermone profertur, ita tamen ut accentus naturaliter ſecúndum Notularum præſcriptum formetur, qualis ipſa per ſe eſt nativa & minimè ficta vox hominis: quæ res valdè amabilem reddit concentum. Cujus generis Muſicam, puris ac liquidis, benéque contemperatis, nativis & non coactis vocibus conſtantem.

ſtantem ſemper laudare ſoleo. Loquor autem in præſentia tantùm de Muſica, ut ſic appellem, privata & Camerali, non autem de ea quæ in Templo campóve exercetur. Non enim ſum neſcius, quòd in Capellis & Templis canere, non autem ſermocinari inter ſe oporteat. Sed tamen etiam illa in re modus ſervandus eſt. Maximè autem nos Germani hoc laboramus vitio, eóque ſatis craſſo, quòd vulgò ferè ſic inter nos clamando certamus, ut quilibet ſe præ altero maximè exaudiri ſtudeat, nec quicquam antè remittat, quàm cæteros concinentes omnes quaſi ſtentoreâ voce ſuperârit: Quo in certamine nihil neq; jucunditatis neque pietatis aut religioſæ attentionis ineſſe poteſt. Præcipuè verò magna eſt deformitas atque inconcinnitas in eo, ſi vox humana adjungatur inſtrumentis Muſicis, nec tamen ita contemperentur atq; applicentur voces, ut nulla ipſarum obſcuret aut clamando vincat aliam aliáſve, Imò verò ad hunc modum inter ſe quaſi hamatim connexæ

connexæ conſertáque, & velut in examine libræ appenſæ eſſe debent omnes ac ſingulæ voces, ut qui audit, non aliter exiſtimet, quàm unicam duntaxat eſſe vocem. Exemplo res fiet illuſtrior. In organo (quod ſic vocant Muſici) multæ ſunt ac varii generis fiſtulæ, aliæ parvæ, aliæ magnæ: quantumvis autem multa Regiſtra contrahantur, preſſa tamen una clave, etiamſi ad multas fiſtulas illa pertineat, quæ plures ſimul & ſemel inflatæ ſonos ſuos edant, auditui tamen unius tantum fiſtulæ ſonus ingeritur, nec diverſitas ſoni percipitur. Neque ſanè in Capellis & Templis opus eſſet tantis clamoribus atque boatibus. Hanc ipſam enim ob cauſſam in frequentioribus illis Symphoniacorum cœtibus plures uni voci attribuuntur Cantores, non ut tantò altiùs & fortius clament, ſed potius ideo, quia plures plurium voces nativæ & contemperatæ, ſi in unum congregentur, ſemper faciliùs ſonum liquidum, purum & conſtantem reddere valent, quàm paucorum coactæ & ſe invicem clamando

do ſuperare contendentes. Cumque etiam unus aliquis vel canens vel loquens in quovis etiam maximo templo & cœtu hominum exaudiatur, quid tandem neceſſe eſt, ut quinq; aut ſex, aut etiam plures in una voce attollenda tantopere ſe fatigent? At inquies, Omninò ſic fieri oportet in magna hominum frequentia, magnóq; tumultu ac ſtrepitu, ſi modo audiri ac percipi volumus. Audio quid dicas. Sed tu interea non cogitas, Te nimis alto clamore tuo cauſſam præbere atq; efficere, ut auditorum quoq; promiſcua turba tanto ſit vocalior & tumultuoſior: atq; ita clamor clamorem parit, tumultus tumultũ: hinc fit, ut talis Muſica omnem amittat gratiam & ſuavitatem. Ex adverſo ad purã ſubmiſſam ac ſedatam Muſicã longè majore cũ diligentia attendi ſolet. Atq; ideo iterũ atq; iterũ repeto, me multò pluris facere & magis laudare vocem purã, nativam, nõ coactã, neq; fictã, quæ ſuavib. accentibus fracta temperatáq; nonnunquã etiam pulchris, ſed tamen perſpicuis atq;

C intelle-

intellectu facilibus, nec nimis multis, nec nimis longis coloraturis variegata & decorata ſit. Talis harmonia, ſi textus quoq; probè & dextrè accõmodetur, verbi gratia, ſi triſtis Textus melodiâ affectuosâ decantetur, accentus quoq; & ſyllabæ longæ aut breves in elevando deprimendóve, ut fert communis loquendi pronuntiãdíq; conſuetudo & ratio, per Notas longas aut breves, aſcendentes aut deſcendentes (id quod in compoſitionibus noſtro ævo fieri aſſolet) obſervetur. Talis inquam harmonia utriq; loco conveniens & accõmodata eſt, tàm Eccleſiaſticis conventibus ad excitandam religioſam pietatem, quàm conviviis ad hilaritatem procurandam. Ac optãdum ſanè eſſet, ut ad ejuſmodi genuinam ac nativam vocem humanam poſſemus etiã Inſtrumentis Muſicis quàm proximè accedere, eámque adæquare & ſubſequi?

Cum igitur nihil æquè proclive ſit ad varietatem atq; Muſica, cumque ſolâ voce humanâ (quæ quidem etiam ad quinariũ vel ſenarium vel ulteriorem numerum

bona

bona ſemper colligi atq; in promptu haberi non poteſt) homines delicati noluerint eſſe contenti: varia quoq; excogitata ſunt Inſtrumenta Muſica, vel quæ flatu artificiali ſeu humano complētur, vel quæ nervis intenduntur, vel quæ pulſantur. Horum unumquodq; initio tantùm ad unam vocem effingendam deſtinatum atq; adhibitum fuit. Sunt autem multiplicia hæc Inſtrumēta. Quædā enim ſpiritu ſive anhelitu oris humani inflantur: quædam digitis tanguntur ſive impelluntur: quædam etiam arcu ſetis equinis obducto perſtringuntur. Ex his illæ, quæ Violæ ſeu Gigæ vocantur, præcipuam & proximam humanæ voci laudem commendationémque meritò obtinent, utpote quæ illam ſimilimè repræſentent, & moderatam atq; amabilem reſonantiam reddant: nec ullum aliud eſt Inſtrumenti Muſici genus, in quo vocis ſive ſoni conformatio facilior, melior, puriórque inſtitui & haberi poſsit. Secundum poſt has laudis locum tribuo illis Inſtrumentis, quæ inflantur ab ore humano, ut ſunt quas dicimus Zincas, Buc-

cinas & tubas ductiles, & ſi quæ ſunt hujusmodi aliæ ſpecies. Tertium locum ſibi vendicant Scalmejæ vel Piſaræ, (retinenda enim ſunt vocabula technica rerum recens inventarum, etiamſi Latinis auctoribus inuſitata atque incognita ſunt) Bommartæ tibiæ majores, Dulcinæ & ſimiles ſpecies, quæ vehementem quidem & boantem, ſed non tàm ſuavem tamen ac jucundum auditu ſonum reddunt, ſimiliorem quippe anſerino clamori quàm humanæ voci. Tametſi in his quoque ambobus generibus, tàm ſupra dicto quàm iſto proximo, os humanum & lingua multum valet ad ſubigendum & ad moderationem debitam flectendum ſpiritum. Quod non fieri poteſt in lituis, ut pote quorum ſonus propter diverſum canalem, per quem ventus immittitur, ad moderationem ita cogi non poteſt. In Quartam Claſſem refero tibias gingrinas, quæ vulgo Flötæ vocantur. In Quintam tibias transverſas: quæ differunt quidem inter ſeſe quoad applicationem oris atq; inflandi modum: ſonum tamen fermè eundem & conſimilem

red-

reddunt, ſed magis ululatum quendam, quàm vocem humanam repræſentant: Quæ cauſſa eſt, opinor, quare noſtris temporibus neque Flötæ, neque obliquæ fiſtulæ amplius aliquem in Muſicis concentibus uſum habeant. In organis ſanè & Poſitivis (quæ vocantur) etiam nunc & illis uti cogimur, & ſtridulis illis fiſtulis quæ Regales appellantur, idque ideò, quòd aliis ejusmodi generibus deſtituamur.

Atq; hæc hactenus de Muſicis Inſtrumentis illis, quæ unam vocem reddunt, dixiſſe ſatis ſit. Sequitur jam de compoſitis ſive conjunctis, quibus plures ſimul voces repræſentari atque effingi poſſunt.

Inter hæc ego Teſtudinem antiquitate excellere arbitror: quæ fundamentum ſuum mutuata eſt à collo Gigæ, totidémq; Choris & fidibus conſtat, & quidem pari diſtantiâ: in ſono tamen magna eſt differentia, cum Teſtudo digitis tangatur & pulſetur, ideóque brevem & fugacem ſonum reddat, qui celeriter evaneſcat, neq; ſe continuari producíve patiatur, ſicut in Gigâ beneficio arcus productior fieri po-

teſt. Neque verò mihi dubium eſt, quin primus inventor & autor Teſtudinis, affectus tædio & moleſtè ferens, quòd in Giga non plures unâ voces ſimul confici edíq; poßint, flagránsq; ſtudio & deſiderio ſingulari hujus artis, in eo elaborarit, ut applicatione digitorum ad collum Teſtudinis plures quàm unam voces ſimul tangere poſſet. Quòd ſi etiam arcum illum, quo in Gigis utimur, ad eandem applicare potuiſſet, Inſtrumentum bellè & ſuaviter reſonans effeciſſet. Quia vero propter nimis arctam vicinitatem & conjunctionem fidium non potuit fieri, ut ſic una ad ſonum edendum commoveatur, quin ſimul tangatur etiam altera: neceſſarium fuit, ut digitis comprehenſam eam, quæ reſonare debet, ex medio ceterarum chordarum velut excerperet. Sed, ut dixi, hæc res nimis brevem atque abruptum edit ſonum. Alioquin laudem ſuam hoc meretur, quòd affectus in hoc Inſtrumento melius atq; accommodatius quàm in ullo alio clavibus conſtante exprimi poſſunt: quod item nunc intentius ac fortius, nunc mollius

lius atq; remiſsius eo cani poteſt. Deeſt illi tamen juſta & recta moderatio, ubi ſonus ex remiſsiore fortius elevari atque attolli debebat, neq; is qui Teſtudine canit, quantuscunq; etiam ſit artifex, & utut omnes intendat nervos, inſtrumentum illud ad ſuum arbitrium ac nutum cogere, neque ſonum continuare poteſt.

A Violis deinde ſeu Gigis majoribus alia quoque Inſtrumentorum Muſicorum genera originem traxerunt, quæ arcubus perſtringi ſolent: ut ſunt Lyra perfecta, imperfecta, Baſtarda, & ſimilia, in quibus poſſunt quidem aliquot voces conjungi: non tamen quævis compoſitio eis conveniens eſt, ut ex tempore ita repræſentetur, ne quid vel in exceſſu vel in defectu peccetur, ſed diuturnus uſus requiritur ad id perdiſcendum. Atq; ideò imperfectum ego hoc genus eſſe cenſeo, ſicut etiam vulgares noſtrorum hominum Lyras, Citharas, & Quinternas, quæ non ſunt ad hoc aptæ, ut aliquot voces ſimul in eis exprimi queant, quaſi unaquæq; vox perfectè ab uno quopiam ei aſsignato homine regeretur.

tur, ſed potius ad id inſerviunt, ut unica ac ſingularis vox ipſis accinatur.

Harpa tactu quidem & pulſatione fidium ſeu chordarum Teſtudini ſimilis eſt: ſed hoc intereſt, quod hîc fides appoſitis aptatíſque buranis ſtridulæ atque obſtreperæ efficiuntur: qui ſtrepitus & ſuſurrus compeſci aut domari non poteſt, maximè in coloraturis, quas dicunt, ubi inſuave ac promiſcuũ & confuſum quoddam murmur efficitur: quæ res Muſicæ puræ ac (ut ſic loquar) defæcatæ non exiguam adfert deformitatem. Accedit, quod non niſi genus Diatonicũ ea exprimi poteſt, & aliquo modo in recentiorib. etiam nonnihil Chromatici, quamvis non ſine incommodo & difficultate. Eaq; cauſa eſt, cur hoc Inſtrumenti genus in uſu non ſit hodie admodum frequens.

Antuuerpiæ in turri ad ædem B. Virgiginis opus Muſicum extat majorib. campanis conſtans: in quo is, qui ejus rei peritiam habet, utraq; manu & utroque pede, beneficio Claviũ & Pedalis perfectè quatuor integras voces, perinde ut in alio

quopiam

quopiam Inſtrumento, exprimere atq; effingere poteſt. Quia verò etiam hoc, propter ſoni perſeverantiam diuturnitatémq; cum non ſtatim reſidat aut remittat ſonus à Campana editus, non minus quàm antea de Citharâ dictum eſt, nimis obſtreperum, inconditum ac minimè harmonicum quendam tumultum excitat; non pertinet magnopere ad eam, quam in Muſicis Inſtrumentis meditor, reformationem.

Porro Inſtrumenta Clavibus prædita, ubi artifex clavirum ante ſe poſitum habet, perinde ut is qui melodiam componit, Scalam ſuam, ego arbitror omniũ aptiſſima & convenientiſſima eſſe ad artem Muſicam exercendam. Ex quibus id quod Organum vocamus, huc uſq; meritò præcipuam obtinuit laudem; utpote quod reliqua Inſtrumenta omnia gravitate vincat. Huc accedit, quod & in Manuali gemino conjunctim, & in Pedali, quo plerunq; omnia perfecta opera ſunt prædita, ſatis habemus ſpacii, ut variis permutationum vicibus nos exhilaremus. Eſtq; ſingulare

gulare

gulare ornamentum, quòd in Pedali profundus quidam & robuſtus Baſſus ſeparatim exerceri, & cum altero, qui eſt in Manuali, commutari poteſt, præſertim ſi ita perfectè & abſq; impedimento reliquarum vocum Choralis dilucidè ac planè per ſe exerceri atq; exaudiri queat. Præterea cum tot Centenæ in Organo ſint fiſtulæ, poteſt plurimis vocum diſcriminibus variatio jucundiſſima inſtitui. Verũtamen omnes illæ, ut & ſupra monui, ululatrices ſunt fiſtulæ, & ſtridulæ tibiæ Regales, quæ non poſſunt ad arbitrium artificis gubernari, aut inflecti earum ſonus. Quamquam enim per venti coactionem in exitu earum aliqua poteſt fortaſſe introduci diverſitas, tamen in introitu non poſſunt vel ad elevationem vel ad depreſſionem ſoni adigi aut temperari, ſicut in illis, quæ ab hominibus inflantur, aliquam vim habent labia humani oris ad efficiendam variationem. Hic autem quàm primum ventile, ſeu foramen, per quod flatus intrat fiſtulam, depreſſione clavis aperitur, ſtatim ventus per canales

les

les penetrat & pervadit, qualis ex follib. fuerit emiſſus, nec poteſt retrotrahi: fiſtulæ quoque manent immutabiles & uniusmodi, ſempérq; eundem ſervant Tonum. vel obſcurum ac ſubmiſſum, vel elatũ ac clarum, omninóque fieri nequit, ut vento aliquid vel addatur vel dematur, ſive clavem fortius comprimas, ſive levius tãgas. Quantum verò hoc ſit vitium, moderatione vocis deſtitutum eſſe, ab illis æſtimari atq; indicari volo phonaſcis, qui Tyrones Cantores, ſivè candidatos Muſicæ novitios in Capellis primò informare & condocefacere ſolent. Sed & alius quilibet, etiamſi artis Muſicæ alioquin rudis & ignarus ſit, facilè ex vulgari ſermone judicium facere poteſt, quanta ſit deformitas, ſi Orator aut Eccleſiaſtes, licet aliàs à natura præditus ſit voce recta, pura, clara ac liquida, eam tamen neſciat temperare, neq; inflectere, & immutare accentus ſecundum varietatem affectuum; ſed uniformi quodam & ſimplici perpetuóq; tenore verba funditet. Quæ res profectò mire tædioſa eſt auditu. & talis à

qua

qua quodammodo ipſa hominis natura abhorreat atq; refugiat. Atq; id ipſum multò magis fit in arte Muſica, ubi tàm in Inſtrumentali quàm in vocali Muſica non ſolùm ad concentum & harmoniam, ſed etiam ad amabilem atq; concinnam moderationem animadvertitur. Etſi autem dici poſſet, Organa etiam poſſe attractione vel retractione Regiſtrorum temperari & ad moderationem quandam inflecti, ut nunc ſubmiſsiorem nunc altiorem reddant ſonum: Tamen id nihil nos moratur, nec ad rem de qua agimus facit quicquam: imò illa, quam quærimus, moderatio abeſt, ſive obſcurè ſive clarè ſonent fiſtulæ. Atq; in his quæ hactenus commemoravi, comprehenſa volo omnia hujusmodi fiſtulata (ut ſic dicã) Inſtrumenta, ſive ſint Poſitiva, ſive Portatilia, ſive Regalia, ſive deniq; alio quocunq; nomine appellentur.

Quod ad reliqua Inſtrumenta clavib. prædita & fidibus obducta attinet, ut ab infimo, nempe Clavichordio incipiã, tametſi id pro minimo & tantùm tyronib. conveniente

veniente Inſtrumento habeatur, & parvipendatur, cum ſonum habeat obſcuriorem ac remiſsiorem, aio tamen, id ferè plus in ſe continere virtutis quàm cætera. Nam ſupradicta illa Moderatio aliquâ ſaltem ratione in eo obtineri, ſonus quoque prout fortiùs aut lenius premitur clavis, vel ſubmiſsior vel clarior reddi poteſt. Hoc tantùm deſideratur in eo, quod ſonus non continuatur, ſed celeriter evaneſcit, perinde ut in Teſtudine.

Reliqua Inſtrumentorum genera, quæ fidibus inducuntur, ut ſunt Clavicymbala, Virginalia, Harpſichordia, quæ vocantur, omnia eadem cenſura comprehendo, & ſummatim dico, Omnia illa ſæpè jam dicto vitio ſive defectui moderationis ejus, quam quærimus, ſubjacere, & quod non poſsit eorum ſonus pro arbitrio artificis retineri aut regi: Proindéq; cum ad exprimendam gravem quandã Muſicam inepta ſint, ad excitandam religioſæ pietatis affectionem, ad quam velut ſcopum omnia dirigo, non conducere. Interim in Choreis, in ſaltationibus, in cæteris ejuſmodi

modi

modi hilaritatis & luxuriæ generib. per me ſanè habeant eum, quem habent, locũ, ſacris autem ne ſe ingerant.

Hic igitur ingens defectus juſtæ moderationis, quo omnia Inſtrumenta clavibus prædita laborant, huc uſque à nemine indicatus eſt: Sed unuſquisq; rem in eodem ſtatu reliquit, quo à majorib. traditã accepit aut invenit: fortaßis etiam pro impoßibili habuit, aliquid melius & concinnius excogitare. Unde Inſtrumentiſtis, qui vocantur, ſæpenumero ab iis, qui Teſtudine canunt, hoc ipſum probro dari audivimus: Adeoque non parum mirari mihi ſubit, quin factum ſit, quod in tanto tempore inter tot tamq; præſtantes artifices omnium nationum nemo extiterit, qui hoc vitium & hunc defectum obſervarit, déq; eo corrigendo & emendando cogitârit: imò etiam hodie reperiri nonnullos tàm bardos & bliteos, qui rem nolint intelligere, quamvis intento digito ſibi demonſtratam. Sed dum in Muſica arte ſubinde incrementa ſumente & ad ſummum perfectionis gradum conſcendente,

inq;

inq; tantâ ejus copiâ & abundantiâ, rebus atq; inventionibus novis aliis nimiũ inhiavimus, interea factum eſt, ut hunc inſignem defectum Inſtrumenti clavibus præditi nemo animadverterit aut curaverit.

Quanquam autem (ut & ſupra exordiens ajebam) artem Muſicam ego non profiteor neq; factito: tamen cum nonnunquam eâ recreandi animi & honeſtæ voluptatis cauſſa uti ſolitus ſim, occaſionem inde ſumpſi diligentius de re tota cogitãdi: Qua ratione fieri poſſet, ut ejuſmodi moderatio etiã in uſum Inſtrumenti clavibus præditi introduceretur. Tandem etiam auxiliante DEO, quamvis non ſine magnis ſumptibus & laboribus, poſt varia experimenta ac ſpecimina, opus tale confeci, in quo moderatio illa, quam ſæpius jam dixi, adhiberi queat. Hoc opus ita conformatum eſt, ut aliàs vulgare ſolet eſſe Inſtrumentum acuminatũ, ſive Clavicymbalum: neq; illius magnitudinem excedit, & facilè de loco in locum transportari ac in menſa collocari poteſt, ita

ut

ut non magnū occupet ſpacium: imò etiam integrum absq; ulla demembratione aut diviſione peregrè vehi licet. Reſonantia ejus tàm eſt ſimilis & conformis majorib. Gigis ſeu Violis, ut vix ullum diſcrimen animadvertere poſsis. Hoc tantùm intereſt, quod non ovinis chordis, ut illæ, ſed Chalybeis atq; Orichalceis fidibus inducatur hoc noſtrum Inſtrumentum: idq́; ideò, tùm ut ne ſit opus crebriore concordatione ac rectificatione earum, & novarum ſubſtitutione in locum ruptarum: tùm quia acutiorem & firmiorem clangorem edunt. Etſi autem unaquæq; clavis unicam tantùm habet chordam, hæc tamen ita robuſta fieri poteſt, ut etiam in Templo ſatis ſpatioſo & amplo ad Muſicam Choralem adhiberi & longè latéque exaudiri queat. Rurſum ad ſonum ita quoq; ſedatum ac ſubmiſſum traduci poteſt, ſi lubeat, ut in parvo etiam conclavi ſuave ac jucundum ſit auditu. Nullum præterea ex omnibus Inſtrumentis in concertis, æquè aptum atq; conveniens eſt, ut ad vocem humanam adhibeatur, ac noſtrum

ſtrum illud: quippe quod non modò, ut dictum eſt, ſono quàm proximè ad illam accedat, verùmetiam accentibus & affectibus magis ſecundum illam dirigi, inflecti, commodiſſiméq; applicari poſſit. Neque verò ad hanc rem opus eſt ulla variatione ſeu retractione vel attractione Regiſtrorum: ſed ſolius manus agilitate hoc præſtari poteſt, pro ut nimirū vel fortiùs ac vehemētiùs, vel leniùs ac molliùs clavem preſſeris, perinde ut arcu fieri ſolet in Gigâ. Sed & continuat chorda ſonum ſuū, & conſervat tàm diu, donec digitum de clave retraxeris atq; dimoveris. Quāquam autem ad hoc requiritur manus exercitata & agilis, ut juſta habeatur ratio moderationis ſive contemperationis: tamen quilibet, dum modò agilem & certam habeat manum, facilè hoc Inſtrumētum ſuo quoque uſui aptare poterit. Deinde tametſi, ut dictum eſt, tantum uniſonas quaſdam per ſe chordas habeat, tamen variis modis inſtrui & alterari poteſt, ad inſtar teſtudinis aliorúmq; Inſtrumentorum, & tàm benè, vel etiam melius atque

D concin-

concinnius, quàm fiſtulata Inſtrumenta ſolius manus miniſterio ad tremulũ quendam ſonum efficiendum conformari poteſt. Clavis depreſſa facillimè cadit, adeo ut vix queas tàm molliter eam contingere, quin chorda commota ſonum reddat: quæ mobilitas ad Mordantias, Cadentias, & Coloraturas (ut verbis utar Muſicorũ) valde conveniens atq; appoſita eſt: maximè verò ad hoc etiam, ut Echo ſive reflexus atq; in ſe recurrens ſonus efficiatur: nec non ad Choros, ut ſibi ipſi quis reſpondeat, & velut adverſarius ſuus ſecum ipſe certet. Hæc, inquam, & hujuſmodi alia in hoc Inſtrumenti genere, ut quod ab uno artifice pro ejus nutu & arbitrio gubernetur, multò cõmodius fieri præſtariq; poſſunt, quàm ſi Sex aut Octo conjũcti ſint qui Gigas tractent. Atq; ut rem paucis abſolvam, verè de hoc noſtro Inſtrumento affirmare licebit, & cum in rem præſentem itum fuerit, re ipſa demonſtrari poterit, Id ita ut dixi in ſono variabile & alterabile, ab omnibus ſupra enumeratis aliorum Inſtrumentorum vitiis ac defe-

ctibus

ctibus liberum atq; immune eſſe: hoc unū ei tātùm adhuc deeſſe, quod non ipſa Textus, qui accinitur, verba quoq; articulatè pronunciare queat: quod quidem, ut in re inanimata, præſtare & aſſequi impoßibile eſt. Veruntamen interea is, qui hoc Inſtrumentum tractat, affectus animi ſui eatenus per id exprimere ac declarare poteſt, ut ab auditoribus animadverti & intelligi queat, quales in animo ejus lateant incluſæ cogitationes, an graves ac ſeriæ, an hilares, an melancholicæ & triſtes, an leves ac jocoſæ.

Quamquam autem hæc ita ſe habent, ut dixi, reperiūtur tamen Midæ nonnulli, aſininis auribus præditi, & groſſulani, qui horum nihil neq; intelligant neq; curent: ſed ſatis ſuperq; eſſe putant, & ſe probè perfunctos ſuo munere arbitrantur, ſi modò digitos & manus ſuas aſſuefaciant, ut in Inſtrumento ſeu Claviro ſurſum ac deorum curſitantes magnū excitent ſtrepitum ac tumultum. Sed cum eò ventum fortè eſt, ut demonſtrandum ipſis ſit, an etiam ſciant quid ſit Moderatio, & an ad

eã aſſuefecerint ſuos digitos, ibi vero turpiter ſe dãt, & (ut noſtratium verbo utar) non ſecus ac butyrum ad ſolem conſiſtunt, adeoq́; hoc ipſo inſcitiam ſuam produnt, quod nondum cognoverint propriam vim ac poteſtatem artis Muſicæ, in quo illa ſit poſita. Qui quidẽ homines (ſi modo homines appellari merẽtur) ea in re digni ſunt, qui comparentur cum Inſtrumentis mortuis, quæ ligneis digitis tãquam automata feriuntur. Hi ergo craſſi ac pingues Inſtrumentiſtæ, ſi manus ſuas ponderoſas & inſulſas operi admoveant, & non remittant premendo, donec clavis ad imũ uſq; pervenerit & reſonet, prout ipſi à teneris aſſueverunt, nec ipſorum aſininis aurib. placuerit talis concentus: ibi tùm contemnunt opus, & culpã in Inſtrumentum ipſum conferũt, perinde ut imperitus ſcriba in calami vitium refert, ſi ipſe malè pingat literas. Sed nõ niſi mera hæc eſt & pertinax ignavia ac ſocordia: cum unusquisq;, modo hujus rei aliquo ducatur ſtudio, facilè rem omnem comprehẽdere poſſit. Neq; ſanè mirum eſt hoc à craſſis ingeniis

geniis Teutonicis ita fieri: neq; dubiū eſt, quin hoc Inſtrumentum, ſi in Italiam deferretur atq; ibi innoteſceret, majore in pretio haberetur. Certè adhuc quotquot id audiverunt Itali (cui nationi hæc laus velut propria adſcribenda eſt, quod his de rebus optimè valeant judicare) id cum admiratione confirmarunt. Mihi verò cum hoc meo opere id uſu venit, quod Dominus & ſalvator noſter CHRISTUS ait: Nullus propheta acceptus eſt in patria. Sed illa tamen ſpes conſolatur atq; erigit me, quod futurū auguror, ut aliquādo poſt obitum meum, ubi hoc Inſtrumentū meum magis innotuèrit, laudem ac memoriam bonā nominis mei relinquā, ne fruſtra natus eſſe aut vitam cum inertiâ tranſegiſſe videar.

Hæc ſunt, quæ nullo adductus aut impulſus vitioſo affectu, ſed ſincero ſtudio ac Zelo, pro mea virili promovendi atq; excolendi artem Muſicā, hoc commentariolo complecti volui. Nam cum viderem, quantopere in paucis annis Muſica per ſummā induſtriam, diligentiā, dexteri-

tatémq; Componiſtarum ad faſtigium & culmē perducta ſit, adeóq; expolita in lucem prodierit, ut vetus illa canendi ratio ferè omnis abolita in deſuetudinem abierit, & quod ad ſuavitatem quidem attinet, nova quædam & antea inaudita in ejus locum introducta ſit: conveniens eſſe ratus ſum, ut etiā Inſtrumentalis Muſica ad eundem modum repurgetur ac reformetur, ut in Concertis, hoc eſt, quando vocalis & Inſtrumentalis Muſica cōjunguntur & ſociantur, concordia atq; conformitas quædam decora obſervari poſſit. Etenim, ſi quid mei eſt hîc judicii, nūquam plena perfectáq; Muſica exerceri aut haberi poteſt, ſi non ad vocalem adjungatur etiam Inſtrumentalis. Nunquam enim tanta eſt vocis humanæ firmitas & conſtantia, utut alioquin bona ſit, quin tandē variationi ſit obnoxia. Id quod ſatis ex eo deprehenditur, quia rariſſimè ad finem aliqua Cantio perducitur, in qua non ſenſim vel deſcendat vox vel aſſurgat aliquantulum. Et ſi non adhibeatur aliquod Inſtrumentum Muſicum, ſonus eſt talis,

ſi at-

ſi attentè auſcultes, qualis eſt Poſitivi non rectificati. Inſtrumentum vero voces humanas quaſi intra metas coërcet atque continet.

FINIS.

NORIBERGÆ,
Excudebat Paulus Kauffmann.
cIↃ IↃ CV.